







1.  
1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.



1775

1. Bodinus, Benjamin Gollis Laurentius: Elogium D. Vened.  
lis Ritters . . . nuper placida morte defuncti.
2. Hugel, Ernestus Graep. Christianus: De testibus novi-  
ter repositis
3. Reinhardtus, Francus Carolus Eduardus: De iure ex feudo  
praestante.
4. Wernstorffius, Ernestus Fredericus: De synodo palmarum.
5. Wiersandus, Georgius Stephanus: Ordinis iuridici  
. . . iocundus: lecturi benevolis salutem plurimam  
dedit (per reputationem in auz. Franci Pauli Ferdi-  
nandi Schaefer invitatus)
6. Wiersandus, Georgius Stephanus: Theses juris Romani  
atque Germanici
7. Wiersandus, Georgius Stephanus: Observationes  
iuris Romani et Germanici
8. Wiersandus, Georgius Stephanus: Observationes juris  
Romani et Germanici.

9. Wiesandrus, Georgius. Heptanus. Observationes juris  
Romani et Saxones

10. Wiesandrus, Georg. Heptanus. Theses juris  
Romani

DELECTIS MOLARIBVS  
EORVMQVE POENIS

HOMMELIO D.

FREDERICVS ANTONIVS SCHILLING



*Faint, illegible handwriting in blue ink, possibly bleed-through from the reverse side of the page.*





1.

DE 1774 2

LIBERTATE ACADEMICA

ORATIO

QVAM

BENEFICIO MARSCHALLIANO

DEVINCTVS

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

IV. IDVS OCTOBRIS MDCCLXXIV

H A B V I T

CAROLVS FRIDERICVS MVLLERVS

A. A. M. ET BIBLIOTHECAE ACADEMICAЕ CVSTOS

P. 96A



VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRNII

ACADEMIAE A TYPIS







RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE  
CAET.

**C**um in memoriam beneficii Marſchalliani et eius immortalis Au-  
toris, more piorum alumnorum, de re aliqua vtili eſſem hoc  
loco diſerere iuſſus; circumſpicienti mihi materiam, quae ne-  
que a ſanctiſſimo ſapientiſſimoque Munificentiſſimi Viri con-  
ſilio abhorreret, neque Ampliſſimorum Virorum auribus indigna, neque in-  
grata eſſet Optimorum Commilitonum animis, nihil propemodum grauius,  
nihil vtilius, nihil, vel ad celebrandum, vel ad audiendum, iucundius vi-  
debatur, ea, quam tantum non omnes literarum ſtudioſi loquuntur, col-  
laudant, adeoque depereunt, *Libertate academica*. De cuius praeflantia iam  
pluribus diſputare nihil opus eſt, quoniam partim per ſeſe ſplendet, par-  
tim vero ex iis, quae poſtea ſum dicturus, elucebit. Equidem huius  
amore libertatis ita me incenſum eſſe profiteor, vt, ſi, neceſſitate qua-  
dam, etiam cras, et perendie, et pluribus diebus, publice mihi dicen-  
dum ſit, nulla de re, quam ſuper hac ipſa, verba facere malim. Tan-  
tum enim abeſt, vt ei noui alicuius argumenti varietatem anteponam, vt  
illud ipſum parum me poſſit mouere, quod hanc rem, hunc aureum locum,  
ante hos triginta amplius annos, in Academia illa, Iuliae nomine decora,  
A 2 Vir



Vir talis attingit, qualem delicatior haec materia oratorem sibi deposcebat. Neque enim aetate solum, aut dignitate, aut eruditione, sed etiam gravitate summaque auctoritate, audientiam sibi tum is, quo de mihi nunc sermo est; Petrus Gerike, faciebat: quippe qui ipso illo tempore Academici Magistratus insignibus iterum ornatus esset<sup>a)</sup>). Nihilo fecius eadem res, quae me, hominem tenuem, deprimere, vel ab incocepto deterrere posse videatur, haec eadem, inquam, res mirifice me confirmat. Namque iam nec dicentis persona iuuenum animis vim adhibere videbitur, et vos, COMMILITONES HUMANISSIMI, VESTRUM civem, eo libentius audietis, quo maiori, non Superiorum, sed suorum Civium, consensu, ad hoc dicendi officium electus est. Quod si minus concinna, minusve docta, oratio mea fuerit; summam ego PATRVM CONSCRIPTORVM indulgentiam novi: sin liberior simul, quam ferre mea perhibeatur conditio; mihi nemo succensebit, quin idem inimicam se VESTRAE, his AMPLISSIMIS VIRIS probatae, libertati fateatur. Quam quidem VOIS, tamquam suam aliquem bonorum, iam primum omnium copiose gratularer, nisi prius maioris inde certiorisque voluptatis percipiendae gratia, ea de libertate, quam vos mecum sectamini, dispiciendum nobis esset, verane sit, an falsa. Nimirum, sunt, qui negent, VESTRAM illam esse genuinam, eam, quam ipsi foueant, solum hoc nomine dignam, liquido censentes. Qui, cum pro sua, sicut pro aris et focis dimicantes, ne ipsam quidem salutem in discrimen offerre dubitent: operae pretium nos facturos puto, si, vna Libertas academica praestantior, vtra vera, et, quid ea sit, paullo diligentius viderimus. Neque vero conclusunculis ad sensum non permanentibus, vel rationibus ad tenue putidius elimatis, utemur, sed vtriusque, praecipue tamen falsae, Libertatis formam, cum asseclis et fructibus vtrinque prouenientibus, ante oculos nobis ponemus: ita fiet, vt reginam a praefligatrice faciliori negotio discernamus.

Age igitur, videamus, qualis ea sit Libertas, quam adolescentulus ille citato cursu persequitur. Quamuis adhuc muris ludi sui septus teneatur, animo tamen indagat istam et odoratur deam, cuius iam dudum vestigia se in Ciceronis illo deprehendisse autumat: *Libertatis proprium est, sic vivere, ut velis*. O quam ingemiscebat misellus tum, cum primum auream veritatem,

a) Orationem de Libertate Academica habuit 1741.



veritatem, legens ista, reperisset! Quanto, aiebat, opere in omnia discedunt alia mei praeceptores! quot legibus, quam acerbe, me constrictum tenent! O tristem seruitutem! Quando haec vincula rumpam? quando arbitrato meo vivam? Enimvero hoc ferendum non est. Sic animatus omnia, quibus ei, scholastica lege, interdictum est, in mentem reuocat, sodales in cellulam suam conuocat, eamque vult esse *Libertatis Atrium*. Postea quam foris omnia circumspectarunt, fatin' explorata sint, pessulum noster foribus obdit. Ibi homo praes gaudio propemodum lacrimari, Ciceronis librum euoluere, locum rubro notatum ostendere: postremo amicos iubet hunc magistrum, at quem auctorem! sequi. Contra illi gaudere, omnes monitorem suum laudare, nemo non obsequium et praesens auxilium vltro polliceri. Nec mora: initio, quod bene vertat, cum Tullio, qui adhuc inuidia multa nonnullorum, nescio, qua ratione, conflagrasset, in gratiam redeunt, calamos, cum herba Nicotiana, arripiunt, chartulas luforias diribent, symbolisque datis, bibunt, ledunt, fumum hauriunt, pallent, vomunt. Ita genio ad fatietatem vsque indulgent. Quod cum sit, illorum legibus, ne fieri liceat, diligenter sancitum, excubias a pueris natu et loco minoribus agi curant. Ludum interim ad multam noctam producunt, nec surgunt prius, quam ipse noster ille nouae libertatis auctor admoneat reliquos: horam praecipitare, neque esse, quod homines ingenui meliorem noctis partem intra parietes perdant. Nobiliora nunc esse facinora edenda. Qua voce, velut classico, excitati, cum duce suo foras erumpunt, ac, per viciniam libere vagantes, nullum puerilis petulantiae genus omittunt. Redeunt demum ipse Scholae Rector, qui nocturnam exscensionem olfecerat, minitabundus excipit. Vultus etiam fortissimo cuique cadit. Vt paucis absoluiam, tota cohors non mediocrem poenam dat: coryphaeus autem, quem caeteri prodiderant, insuper e scholae moenibus exterminatur. Neque vero quisquam temporum eius confors esse vult. Attamen, qui Libertati Academicae natus videretur, huic ista sententia non lugubrior visa est, quam seruis apud Romanos illa vox: *Liber esto, et abito, quo voles*. Nisi molestum est, fugientem iuuenem sequamur. Protinus ad matrem dulcissimam volat, quae suis blanditiis patrem difficiliorem filiolo reconciliat, senique persuadet, vt ei, nunc maiores Athenas petenti, lautam et praeclearam pecuniam subinde mittat. Quis continere se potest, **COMMILITONES OPTIMI**, quin hisce talibus parentibus acclamet: *Hunc vobis praesto, non modo filium, sed egregium Nepotem*. Haecenus, quae prima liberioris



rioris vitae rudimenta noster adolefens in schola inferiore deposuerit, cognouisset: iam videbitis, quantum in altiore contigerit proficere. Conferbat se in Academiam quandam, cuius me nomen fugit, eamque celebriorem, eo quidem consilio, ut illam ipsam Libertatem, quam adhuc non nisi ex auditione expetiisset, nunc suo sensu gustaret. Ut primum in urbem venit, nactus est aliquem Veteranorum, academicae licentiae magistrum ac defensorem maximum; cui se totum tradidit. Is eum, antequam nomen suum apud Rectorem profiteretur, in proximam tabernam, ubi gustandi initium faceret, perduxit. Ibi tanta vis inerat vino, tantaque virtus, ut ei, duarum vel trium horarum spatio, tot fratres pareret, quot vix Centauri numerassent. Vnus tamen omnium ei germanissimus Veteranus ille censebatur. Qui facile ab eo impetrauit, ut opiparum conuiuium instrui iuberet. Quo finito, cum satis adhuc sobrius uterque sibi videretur, recto ad Rectorem itinere proficiscebantur. Incedebant autem conferti cibo, vino languidi, oculis grauibus, mutuoque iuncti amplexu, non minus amicitiae, quam adimiculi, cuius uterque indigebat, causa; nisi quis mauult, eo fecisse, quo iuge auspiciam fieret. Apud magistratum quo modo se gesserint, qualemue nosser fidem, et qua dederit sanctitate, non satis exploratum est, neque erit vnquam, cum neuter eorum illo tempore mentis compos fuerit. Quae res deinceps non exigui ad effrenatam libidinem momenti adolescentulo semper fuit. *Quidni enim faciam? aiebat; quis prohibet? Leges? has nunquam didici, nec discere cupio. Pietas? aut insinrandum? his vinculis me, quod sciam, non obligauit.* Attamen iurasti. *Quid mea refert? iuravi lingua, mentem iniuratum gero.* Ita quotidie *Libertatis Academicae* memor, omne ius et fas, atque vtilissima quaeque maiorum instituta, vincula nominans et seruitutem, pedibus conculcabat: noctes, quia somno definitae, peruigilabat; dies labori tributos, ne quid Libertas detrimenti caperet, sopori dabat: virtuti non alio nomine infensus, quam quod suae minaretur deae, vitiumque fortasse pari odio persequuturus, nisi oculis captus fuisset, quominus turpem sub eius imperio seruitutem cerneret. Ut omnia paucis percurram, quem antea in Lyceo praeceptoris vulticulus a malefaciendo saepe deterruerat, is iam nec furias, quibus exagitabatur, nec imminentes perniciem, extimescere prae se ferebat. Adde, quod pessimi familiares animo sua sponte irritabili quasdam quasi verborum et exemplorum faces admouebant. Quo factum est, ut nihil amplius penſi haberet, neque vllum diem sine facinore praeterire pateretur. *Quid plura? in ius vocari, de vi da-*  
*mnari,*



mnari, duci, homini tam sollempne fuit, quam, si aram Libertati Academicæ in carcere dedicasset. Postremo, quum et patrem, utpote qui, obrutus aere alieno, prae animi dolore, mortem cum vita commutauit, et matrem, quæ etiam nunc in honorem Libertatis Academicæ stipem ostiatim quaerit, et semet ipse, pessumdedisset: impeditus difficultate numaria, eo deuenit infelix adolescens, ut mortem sibi conscisceret? Vtinam id iam dudum fecisset, multorum pestis, homo desperandus. Furto se alligare? Apagæ cum suspitione tam indigna literarum, et, quod maius est, Libertatis Academicæ, studioso. Nihil est: alterum illum, improbitatis magistrum, debilitatum stupris et anhelantem, quem inter manus medici breui animam exspiraturum vidisset, argenti causa, quod sibi ab illo denegatum esset, noctu veste stragula oppressisse creditur. Sed hic, non hospes in iudiciis periculisque, carnifici surreptus et solum vertere coactus, in vico nescio quo, supplicii portum apud quendam cauponem inuenit. Qui, cum vetus eius fraterculus esset, hominem suo praefecit equili: vbi tandem aliquando, inter iumenta, fustibus agrestis heri domitus et condocefactus, Libertatis Academicæ nomen abominatur.

Quæ quidem, si genuina est, COMMILITONES HUMANISSIMI, nec perperam ab isto grassatore aliisque ficta: quis nostrum non cum ipso exsecratur eam? quis non, velut anguem, fugiat? quis non seruus, quam, ista ratione, liber et emancipatus, esse malit? Et sic tamen comparata fuit ea, quæ, maximam partem, nostri maiores olim hac in Academia gauisi sunt. Ac nescio an *Pennalisimum illum* principem et superbissimam eius speciem possimus appellare <sup>b)</sup>. Dominata est autem ea, quam dico, siue libertas, siue infania, superiori saeculo, in omnibus fere, quas Germania continebat, Academicis, et ita per annos quinquaginta <sup>c)</sup> dominata est, ut vix demum totius Imperii auctoritati maximisque Principum viribus cederet: vario tamen modo, pro varia ciuitatum et eorum, qui literis operam dabant, indole, mos insanituri ille ferocissimus. Vitembergæ Lipsiæque hunc in modum obtinuit. Conspectus procul aduena continuo ducebatur ad Seniores suæ nationis, penes quem omnium popularium erat regimen. Apud hunc in matriculam, quam vocabant, Nationis nomen suum dare iubebatur. Per vnum plerumque mensem aures illius ab vnoquoque *vulpis* verberabantur

<sup>b)</sup> Historiam eius exhibent Happelius, Schoettgenius et alii.

<sup>c)</sup> ab anno 1610 vsque ad 1661.



bantur vocabulo: neque vero audebat prius, quam temporis illud praeterlapsum esset, neque licebat ei, veteres literarum cultores conuenire, qui *Ab-solutorum* decorabantur nomine. Quid? in aede sacra locus erat, vbi a reliquis stare seiunctus cogebatur: is *vulpium* appellabatur *angulus*. Oportebat eum vestibus vti pannosis et squalidis, pileo lacerato, pallio praesertim tali, quale mendicus aspernaretur miserimus. Gladio, quo tum reliquorum quisque ornatus esset, cinctus incedere vetabatur. Nam quo sordidior esset cultus, eo praelarius putabatur *boni Permalis*, vt voce barbara dicebatur, personam tueri atque dignitatem. Haecenus regnum Veteranorum tolerabile videatur: sed quae sequuntur, parum absunt a crudelitate. Quid enim durius, quam, illis epulantibus, ante ostium stare, ad quaelibet eorum iussa peragenda, paratum et accinctum? quid acerbius, quam illis, quotiescunque ad nouitium, compellendi causa, inuiserent, licitum fuisse, quantum pecuniae vellent, ab illo postulare, ipsi denegare non licuisse? quid inhumanius, quam ad sese venientibus pocula ministrare, potumque largiter praebere, ipsi ne gustare quidem integrum esse? Statim enim audiebat illud: *Manum abstine, mastigia*. Quid denique indignius, aut contumeliosius, quam sub mensam fuisse coactum eoque adactum ingenuum hominem, vt felis, vel canis vocem, pro illorum labitu, imitans, ipsum sputum lamberet? O temporum infelicitatem! o morum barbariem! Illo aeuo ne Professores quidem desuere, qui hanc licentiam adiuuarent, conuiuiorum curam in se suscipientes, aliisque rationibus pravam consuetudinem fontes <sup>d</sup>). Parentes autem aduenarum, quibus restrictis vel tenacibus esse non licebat, causam accipiebant hanc: *in Academia degentium nemini quidquam a suis popularibus vnquam separatim esse debere*. Atque si quis erat, qui primum ingemisceret, nouitiorum, callum tamen stomacho eius obduxit consuetudo: eoque minus detrectabant seruiles operas, quo sciebant certius, fore aliquando, vt in alios pari faeuirent intemperantia. Quem furorem extirpatum saepius iuerunt Optimi Maximi Saxoniae Moderatores, alio Principe alius reliquias persequente: sed identidem radicem altius agere coepit, anno saeculi sexagesimo ita se esserens, vt in licentia nihil esset residui. Verum enim vero, cum religio in re publica haerere videretur: in comitiis tandem Ratisbonensibus, vna omnis Germaniae voce, Pernalissimus est abrogatus. Annus hic tertius decimus est supra centesimum, quod eum, summa Ioannis Georgii II. auctoritate, is, cuius TV, RECTOR

MAGNI

d) Apparet hoc ex Io. Georgii II. edicto, XIII. Kal. Apr. MDCLXI.





MAGNIFICE, amplissimum locum in praesenti tenes, Caspar Zieglerus, funditus e Vitembergensi Academia sustulit. Quantum putatis, COMMILITONES OPTIMI, quantum ergo fructum putatis, ex ista perdomita bellua, Virum fortissimum, vna cum Patrum Consilio, cepisse? Colligere hoc licet ex indignatione talem Virum decente, quacum Pennalissimi descriptionem orditur <sup>e)</sup>. Audite, quaeso, verba, quae, ipsius manu eleganter in membranis exarata, legi: *Pudet referre, inquit, quibus nequitiis, quibus indignissimis modis, qui nouiter in Academiis venerant, imo etiam, antequam venissent, extra ciuitatis pomoeria excepti fuerint: vt etiam inter barbaros plus quandoque humanitatis, quam in humaniorum literarum officinis reperiri, haud frustra crederetur.* Haec Zieglerus. Qua in re prodigii simile videtur, quod cultores literarum iuniores, in quos praecipua legis et commutationis huius utilitas redundabat, eam praeter caeteros moleste ferrent, cateruatim ex vrbe discedentes: ita, vt intra biduum aliquot Nouitiorum centuriae desiderarentur. Etsi vero de vicinis oppidulis, quo dilapsi erant, sensim alius post alium redierunt, cum sententiam stare Patribus Academicis vidissent: ex ipso tamen lento ac subtrifli reditu non minus, quam ex Lipsiensium simili huius illorum secessione, quanto amore petulantiae iuueniles animi corrupti fuerint, apparet. Quid? in Academicis non solum aetatem virilem agere, sed etiam consensescere, tum, cum omnia fere Musarum filiis licerent, permultis placuit; et memini me legere in Lipsiensium Annalibus, inter alios vnum, cui nomen esset Henrico Oehlio, centesimo demum aetatis anno literarum studiosum decessisse. Tanta vis est Libertatis Academicae. Quae quales tandem illecebras habet, quoue illius lenocinio tot oculi mentesque pelluntur? Verbo dicam: res illuc redit: *Nitimur in vetitum.* Nolint igitur illi de sua libertate gloriari. Nomina enim permiscet rerum, et quam ita nominant, ea seruitus est, eo miserior, quo superbius in ipsos imperium tyranni sui, scilicet, ignorantia, falsae opinioniones, foedaque cupiditas exercent. Atqui scire id, quod saepius pueri legerunt, oportebat eos: *neminem plane liberum esse, nisi sapientem.* Sapientiae vero initia iam in scholis inferioribus traduntur, adeoque parte aliqua libertatis liberalis animus ibi potitur; sed pleraque in diem differtur, hoc est in tempus illud, quo affectionum turba paullo sedatior esse coeperit, quo ingenii vires creuerint, animusque tam doctrinis grauioribus et vberioribus.

B

e) In Academiae Vitebergensis Matricula.



rioribus, quam exemplis melioribus, alatur, et imbuatur, et ad optima quaeque accendatur. Qui autem locus, vel copia doctorum, vel omnis instrumenti, quo eruditio, cum sapientia, comparetur, abundantia, felicior est, quam Academia? Hic adolescentuli oculos circumferre coeperunt, et sentire, quid sint: hic mens et animus nutritur: hic sapientia pariter e sapientum virorum praeceptis et colloquiis, atque ex praestantissimis veterum et recentiorum libris, hauritur. Quis igitur est, qui his, quae verissima sunt, concessis, neget, sapientiam et libertatem, quarum omnes, qui ubique sunt, participes fieri quodammodo, si ex animo cupiunt, possunt, praecipue tamen in Academiis habitare? Sunt quidem, qui dicant, legibus Libertatem Academicam vel tolli, vel infringi saltem. Verum, hi videant, ne ista ratione, seruire se ipsos, ac neminem vnquam liberum fuisse, aut esse, aut esse posse, statuunt. Nisi forte vniuersitatis hominum auctor et moderator sanctissimus nihil omnino sanxit, bonos et scelestos, virtutem atque vitium, pari complectens amore. Sed horror animum ista cogitantem perfundit. Alii maiorem duntaxat legum seueritatem a Libertate Academica volunt abesse, nemini talia conuenire, arbitantes, nisi seruis, pueris et plebeculae. Quod aduersariorum genus ignorare videtur, quomodo plerorumque adolescentulorum in Academiis properantium animi affecti atque ingenia comparata sint. Nihil dicam de peruersis nostri saeculi moribus, nihil admodum de pessima liberum educatione: vnum ex hominibus illis quaeram: annon pueri literis destinati plerumque multo laxius a parentibus habeantur, quam ii, qui alii vitae generi addicuntur? perinde, quasi homines ad omnem humanitatem informandos impudentiores et ferociores, quam simplex et miserum genus rusticorum, aut vectigalibus depressum artificum et sellulariorum, aut militum, numeris taclicis imperioque nimis adstrictum, esse deceat. Vellem, istius modi iuuenibus aliquando, ludi causa, concedi, vt per vniam vel paucas horas, dummodo sine periculo fieri posset, legibus essent soluti, vt, quo tandem, relaxatis habenis, ruerent, viderem. In primis autem freno plurimis eorum opus esse videtur, qui Musarum in sedibus nati sunt. Ibi enim accidere solet, vt exemplis deterioribus puerulorum animi ad repraesentandam libidinem suam pelliciantur. Sed qui seueritatem illam vituperent, sunt fere hi, quibus est maxime vis animaduersionis pertimescenda. Quanta Vobis tranquillitate, *COMMILITONES OPTIMI*, et quam hilari vultu, morum etiam seuerius magisterium intueri licet? Nimirum bonis ac temperantibus neque lex lata est, neque sedet iudex, neque poena minatur.

natur. Aliis haec debentur. Atque utinam in omnes Academias illud  
poëtae conueniat:

*Mos et lex maculosum edomuit nefas:*

*Culpam poena premit comes.*

Tum sane cum plurimis earum actum esset melius. Habeo testem huius  
rei locupletissimum, VIRVM ALIQVEM SVMMVM, cuius ipsi Principes  
et consilia expetunt, et auctoritatem sequuntur, Aulae Dresdensis non exi-  
guum decus. Censet autem hanc in sententiam f): *Persuasum est mihi,*  
*fore, ut in eam Academiam, quae seueriore disciplina munita sit, non minor,*  
*quam in alias, iuuenium confluat numerus: cum eam caeteris non possint non*  
*praeferre parentum et curatorum prudentiores.* Attamen bono animo esse  
possumus, neque est, quod Libertati Academicae metuamus. Idem enim  
Auctor grauissimus, cum de omni re publica praeclara atque egregia sen-  
tiat, hunc in modum nos confirmat s): *Quoniam nobilissima humanarum*  
*felicitationum pars est libertas: quod omnes eam aucupantur, eo magis laudan-*  
*dum, quo inhumanius est, alios ea priuare cupere.* Ne quis autem obiiciat  
mihi: eam quidem, quam antea laudauerim, Libertatem, seuerioribus non  
destrui legibus: at eandem vel numquam, vel raro, intelligi, quoties de  
Academica Libertate sermo sit: hoc ipsum vero dolendum esse, arbitror,  
quod haec eandem fere fortunam patitur, quam Virtus. Nomen eius ma-  
gnificum vulgo placet, quid ipsa sit, ignorant. Quocirca peruelim, non  
tam rebus externis, quam animi ac mentis virtute, omnes metiantur Liber-  
tatem Academicam; neque opponi statuunt eam legum imperio, sed vitio-  
rum et cupiditatum prauarum dominationi. Sed ista, inquit, Acade-  
mica dici haud consuevit. Ne consueverit, modo sit. Esse, pertinacius  
negant. Os hominum videte. VESTRA igitur, COMMILITONES, non  
est vera? Quid tandem est Libertas Academica? Per vicos cum tumultu  
volitare? scuticarum crepitu doctorum commentationes perturbare? fene-  
stras lapidare? pedum strepitu alios exagitare? sibilo, et murmure, et fre-  
mitu, hominibus insultare? Sed ista via et ratione plebs infima etiam li-  
bera esse potest. Quid igitur est? In tabernis et cauponis habitare? ad fa-  
mosas ire? a literis capitali odio dissidere? scholas ac templa deuitare? im-  
mensum aes alienum contrahere? nihil, nisi verba, dare? Bonorum existi-  
mationem nefandis carminibus lacerare? Haec vero libertas digna est, quae,

B 2

non

f) Vid. *Zufällige Betrachtungen in der Einsamkeit*, P. II. p. 16. g) p. 67.



non in agros, sed in solas infulas, et silvas, et lustra, deportetur. Quam quidem etiam Vittembergae olim tumultuatam esse, nemo VESTRUM nescit, COMMILITONES HUMANISSIMI. Iam non de superiori saeculo dico, verum de illis moribus, qui multorum adhuc superstium obtinere memoria. Patauii referunt, non ita pridem scholasticis, vt nostrates etiam aliquando vocabantur, sollempne fuisse, homines in porticibus vesperi ambulantes, postquam iis acclamassent: *quis illic incedit? quis homo est?* animi causa, glande plumbea, miserandum in modum, traicere. Quae barbarorum saevitia immanior esse potest? Sed tamen haud scio, an illi gemina fuerit nostrorum hominum ferocitas, qua ducti, certamen singulare alius inire cum alio consuerunt. Atque in eo mihi Patauios facinoris atrocitate superasse videntur, quod illi saepius ignotos homines, hi suos familiares, interfecerunt: et quam leues ob causas! vnum dicerium, aut vultus alicuius liberior, vinolentis et pugnacibus hominibus commouebat bilem. Accedebat amor, qui saepenumero iuuenem incitabat, vt pro sua Melusina vltimum adiret periculum. Alius non amicae modo, sed amicorum etiam, famae vindex esse cupiebat <sup>b)</sup>: cui parum erat, quod, omnibus horribilis, per urbem et suburbia grassabatur, nisi triplici, minimum duplici, homicidio nefarias manus cruentasset. Hoc gladiatorum genus *honorem* semper in ore ferebat, *ipsam vitam nihil ad illum esse*, dicitans. Quibus rebus fiebat, vt iis inexpiabile bellum cum licitoribus et ministris publicis, quos conuiciis lacebent, videretur susceptum: atque adeo infensi erant miserae nationi, vt, si omnia ipsis placata fuissent, illorum plurimos eodem cruciatiu affecissent, quo Caesaraugustani quondam nescio quem Pedelum <sup>i)</sup>, vt isti homines vocantur, ad necem vsque vexarunt. Haecine Libertas Academica est? Multus fui, COMMILITONES HUMANISSIMI, variis in partibus Libertatis illius, quam isti sectantur, colligendis, quo imaginem eius pleniorum componere possemus. *Veram* autem Libertatem pluribus

<sup>b)</sup> Renommist.

<sup>i)</sup> Huic nomen erat Guadalaxarae. Postquam hominem saepius, vt vulpem, fursum excusserant, postremo eum in equi mortui corpus ita insuebant, solum vt caput sub equina cauda emereret, ac miserabili clamore praetercuntes ab auxilio ferendo detererent. Potabant enim, genium sliquem impurum ex cadauere vocem emittere. Nec liberatus vaquam esset infelix, nisi, ad populi rumorem, sacrarum rerum iudices equum in suum confissum atrahi iussissent: vbi cadauere in quaestionem dato, vt tormentorum ille scmiuius exprimebatur. Qui tamen paullo post exspirauit. Vid. Gavin, in Passe par tout.



pluribus describere si velim, actum, quod aiunt, agam. Quis enim *vestrum* est, cuius animo non obuerfetur diuina eius species. Et, si quis est, qui naturam ipsius diligentius nosse cupiat, non deerunt ei philosophi, quorum hae sunt partes. *Falsae* formam exponere *vobis* eo magis debui, quo longius eam a *vobis* remouistis: ne, si quis eius patronus facum alicui *vestrum* facere velit, fides picturae fallaci forsitan habeatur. Numquid vero dubitabitis posthac, vtram, non dicam, alteri postponere, sed ex animo penitusque odisse, debeatis? Agite dum, falsam fictamque Libertatem Academicam ad veram et genuinam comparemus. Tantum enim inter hanc et illam interest, quantum inter virginem nobilem et meretricem plebeiam. *Vera illa* naturali floret pulchritudine: *falsa* haec pigmentis et coloribus iuuenes dementes captat. *Genuina* se non dedit, nisi temperantibus hominibus: *fiucata* quaedam est quasi quadrantaria. *Ill*a suos reddit libidinum victores: *haec* omnes virtutis neruos elidit. *Ill*a nos imbuat amore sapientiae bonarumque artium: *haec* suos ad insaniam adigit, nec moderabile quidquam suadet. *Illius* cultores pii, casti, humani, diligentes, frugales, abstinentes et legibus obedientes: *huius* autem sectatores sacrilegi, impuri, superbi, socordes, prodigi, ventri gulaeque obnoxii, seditionosi denique, esse consueuerunt. *Ill*i, animo fortes, plerumque valetudine firma fruuntur: *horum* adolescentia mollis et effeminata corpora estoeta, sicut Cicero loquitur, tradit senectuti. Quem ad finem huius farinae homines, verae se libertati studere, insigni audacia gloriabuntur? Nonne pari iure barbarae gentes, quae pone promontorium illud, quod Bonae Spei dicitur, incolunt, se liberas esse iactabunt? Habeant igitur suas vtrique sibi res; habeant eximiam suam libertatem: *vos*, *COMMILITONES OPTIMI*, nomen eius, quod omnes boni a nostra detestantur Academia, nemini vnquam inuidebitis. Quippe rationem iniistis longe aliam. Nondum *vos* poenitet legum Academicarum, quibus tam Patriae, quam Academiae, Patres, rationibus *vestris* bene ac sapienter prospexerunt. Alios lumen earum offendat, aciem oculorum praestringens: *vos* illud recreat, viamque, alias incertam, qua ingredi sine aliqua prolapsione pauci possunt, *vobis* illustrat. Satis enim simpliciter ac splendide harum legum Auctores loquuti sunt. Hos audire, his morem gerere, Libertatis Academiae initium est. Neque tamen est, quod Iura *vestra*, quae *vos* ab aliis ciuium generibus distinguunt, atque ex quibus nonnulli Academicam Libertatem censendam esse putant, contemnatis: quamuis laudandum sit



VESTRUM satis mihi cognitum iudicium, quo, dum etiam istiusmodi re-  
 bus nomen tam praeclarum conuenire quodammodo, largimini, vix tamen  
 hanc villo modo cum *illa* Libertate, quippe quae propria sit ac perpetua,  
 comparandam esse, existimatis. Adeoque a veteribus Academiae ciuibus  
 differtis, vt illud ipsam Libertatis Academicae, quod a multis putatur, in-  
 signe, gladius, pro quo illi, tamquam pro suis crepundiis pueri, decerta-  
 sent, iam raro hac in vrbe conspiciatur. **MACTI** virtute, **COMMILITO-**  
**NES**, et aequo animo esote. Atque, si eiusmodi priuilegiis vera Libertas  
 Academica viteretur, putatisne, Anglos, aestimatores libertatis elegantissi-  
 mos, adhuc passuros fuisse, Academiarum suarum ciues nonnullis illorum  
 carere? Istic profecto cernere licet, animos etiam liberrimos legum de-  
 cere habenas. Nimirum tam Oxonienses, quam Cantabrigienses, certis  
 vestimentis vti, semper incedere palliatos, gladio se abstinere, certo quem-  
 que loco habitare, multorumque annorum accuratori disciplinae adfue-  
 scere, leges illorum iubent. Eas taceo gentes et ciuitates, quarum exem-  
 plis vobis probare possem, quoduis Libertatis aliunde pendentis genus  
 vinculis quibusdam longe durioribus adstrictum esse, quam ea sunt, quae  
 ciues Academicos deuinctos tenent. Quippe non ignoratis, aliam rem  
 publicam nexu crudelitate <sup>k)</sup>, aliam acerbitate vestigialium <sup>l)</sup>, aliam de-  
 cemuiralis iudicii <sup>m)</sup> feneritate, ipsis Patriciis formidolosa, partim coerceri,  
 partim vexari. Quid? Ragusanorum ciuitas adeo libertatis causa metuere  
 dicitur, vt quandam quasi captiuitatem sponte subeat. Omnes enim istius vr-  
 bis aditus, ipsa aestate adulta, praeter quatuor horas, per totum diem, claudi  
 perhibentur. Quanto felicioribus iis, quantoque securioribus, esse contin-  
 git, quorum libertas est propria et sua, neque natura loci, vel armis et for-  
 tuna, sed animi virtute innixa. Iterum ac saepius dico, tantopere vos,  
**OPTIMI COMMILITONES**, a veteribus illis Vitemburgensibus dissentire,  
 quantopere a licentia discrepat legum auctoritas, pudoris et modestiae ma-  
 gistra. Iam non amplius inter latera nostra mucrones illi praelongi ver-  
 santur: fuit, fuit apertum illud in Musarum domiciliis latrocinium: tantum-  
 que de pristinis moribus dies limauit, vt me horrendum illud *Pereat ne*  
*femel quidem audire meminerim.* Obmutuisse quodammodo videtur auis  
 illa odiosa <sup>n)</sup>, quae olim Vitemburgae, non vere tantum, aut aestate, sed  
 per

<sup>k)</sup> De Anglis vid. Muraltus.

<sup>l)</sup> De Batauis affirmant in primis itineraria.

<sup>m)</sup> Venetorum.

<sup>n)</sup> *Cuculus*, cereuisiae genus apud Vitebergenses, quod saepius turbas concitauit.



per omnem annum; non solum de adulterato nido <sup>o</sup>), sed etiam de sexcentis fenestris; non suum nomen, sed aliena probra, decantabat. Iam diu deletae sunt maculae, quas nostri homines ex opinione exterorum susceperant. Qua rerum commutatione quis non delectetur? quis non pascat? quis non perfruat? Gratulari vobis gestio, COMMILITONES. Enimvero, audire voces obloquentium video; enimvero, conuicium illud hibernum, quod a coena, quotidie fere, aures hominum obtundit, quo referes, bone laudator? Audisne catulos? audisne porcos, et boues, et vitulos, et oves, cum felibus? Num latrare, grunnire, mugire, balare, ad morum elegantiam pertinet? Oh, quid potest obtusius dici? Quem unquam istae momorderunt animantes? Domesticae et mansuetae sunt, ac, simul atque innocentes desinunt esse, coercentur. At quis excusauerit cantilenas obscenas et contumeliosas, quibus in vestris honorificis et sollemnibus pompis resonant plateae? Certe, is, qui Romanorum in triumphis, nec tristi supercilio, nec iudicio superbiori, militum exultantium incondita carmina reprehenderit. Certis enim temporibus insanire iuuat. Quare nolite, COMMILITONES HUMANISSIMI, de statu VESTRO declinare, sed huiusmodi opprobria, quae non omnes ferunt, contemnentis, recto cursu ad sapientiam ac Libertatem, id quod facitis, pergite: quo fiet, ut Academia nostra mirabili exterorum gratulatione aliquando floreat. Gratulor etiam iis, quibus debeo, quod mihi, MARSCHALLIANO BENEFICIO liberaliter aucto, de VESTRO Libertatis studio publice gloriari licuit: VOBIS, inquam, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PATRES CONSCRIPTI, PATRONI PIE COLENDI, gratulor, de hoc tam insigni fructuum prouentu, quem VESTRAE doctrinae tulerunt, eoque vehementius VESTRA causa gaudeo, quo gratiore mente VESTRAM beniuolentiam agnosco. Gratulor denique TIBI, si fas est, altiore felicitate perfruens et gloria numquam intermoritura cumulate MARSCHALLE, quod munificentiae TVAE alumni consilio TVO sanctissimo in dies magis respondent. Erit, erit aliquando illud tempus, cum, animo ex corpore, tamquam e carcere, liberato, coram gratias immortales TIBI agere atque contra intueri licuerit. Ibi demum Libertatem absolutam, et Academica longe praestantior, consequemur.

<sup>o</sup>) Vid. Plinius, Hist. Nat. X. 9, 11.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

1788





Wittenberg, Diss., 1774-76



f

Sb.







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

DE 1774 2

LIBERTATE ACADEMICA

ORATIO

QVAM

BENEFICIO MARSCHALLIANO

DEVINCTVS

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

IV. IDVS OCTOBRIS MDCCLXXIV

H A B V I T

CAROLVS FRIDERICVS MVLLERVS

A. A. M. ET BIBLIOTHECAE ACADEMICAE CVSTOS

---

V I T E M B E R G A E

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DVCE

ACADEMIAE A TYPIS

KONIGLICH  
UNIVERS.  
ZVIBLICH

*P. 864*

